Dr. Barclay
with the Authors Compliments

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PNEUMONIA,
QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO
Pro Gradu Doctoratus,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RICHARDUS KELLETT,
BRITANNUS.
SOC. REG. MED. EDIN. SOC. ORDIN.

Medicina non ingenii humani partus, sed Temporis Filia.——BAGLIVI.

Die VIII. Ante Kal. Julias horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH,
Typis Joannis Moir.
1812.

ast (blank) leaf wanting.
See T. 1125.15

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

CONSANGUINEO SUO

THOMAE SPENS, M. D.

COLLEGII REGII MEDICI EDINENSIS

SOCIO,

VALETUDINARII REGALIS EDINENSIS

MEDICO,

&c. &c. &c.

PROPTER BENEFICIA MULTA

IN SE COLLATA,

QUORUM IMO IN PECTORE

MEMORIA SEMPER GRATA MANEBIT,

HANC DISSERTATIONEM

DICAT

AUCTOR.

VIRO OPTIMO,

AMICOQUE PRÆSTANTISSIMO,

GULIELMO NEWBIGGING,

ARMIGERO;

COLLEGII REGALIS CHIRURGORUM EDINENSIS,

SOCIO,

CHIRURGO VALETUDINARII REGALIS;

QUI

CONSILIIS SUIS

AD MEDICINAM RECTE DISCENDAM

QUAM PLURIMUM OPITULABATUR;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

PEREXIGUUM AMORIS MONUMENTUM,

ANIMO QUAM GRATISSIMO

CONSECRAT

AUCTOR.

VIRO SPECTATISSIMO

GEORGIO HARLEY DRUMMOND,

ARMIGERO DE DRUMTOCHTY,

IN COMITATU KINCARDENSIS,

OB INNUMERA FERE BENEFICIA,

IN SE, SUOSQUE COLLATA,

HOC OPUSCULUM

CONSECRAT

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3195800x_0001

PATRI

INDULGENTISSIMO OPTIMOQUE

GULIELMO AUGUSTO KELLETT,

ARMIGERO,

REVERENTIA ET PIETATE

QUIBUS FILIUM DECET

HAS CALAMI JUVENILIS PRIMITIAS

D. D. *CQUE*

RICHARDUS KELLETT.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA.

RICHARDO KELLETT AUCTORE.

EXORDIUM.

Cum hujus Academiae instituta postulant, dissertationem medicam inauguralem ut in lucem edam, pauca de Pneumonia disserere constitui; sub quo titulo inflammationes omnium thoracis viscerum atque membranarum, comprehendere volo, et quia nulla signa pathognomonica sunt, quibus situm

certè statuere possumus, et quia nulli momenti scire est juvantia et laedentia iisdem. Celeberrimus Eques, JOANNES PRINGLE, opusculo suo multùm laudato de exercituum morbis, verbis sequentibus mentis cogitata eloquitur:—“ But in whatever place ob-“ struction fixes, since the cure is so much “ the same, we may be the less anxious “ where it lies.”*

Celeberrimus CULLENUS, nuper in hac Alma Academia Professor, hunc morbum in Nosologia sua ita definit: “ Pyrexia, dolor “ in quadam thoracis parte, respiratio diffi-“ cilis, tussis.”

Sub hoc genere duae species comprehenduntur, altera Pleuritis, altera Peripneumonia dicta.

Pleuritis.—“ Pneumonia, pulso duro; do-“ lore, plerumque lateris, pungente, sub in-

---

* PRINGLE's Diseases of the Army.

"spiratione praesertim aucto; decubitu in "latus molesto: tussi dolentissima, initio "sicca, postea humida, saepe cruenta."

Peripneumonia.—"Pneumonia, pulsu non "semper duro, aliquando molli; dolore tho-"racis obtuso; respiratione perpetuò diffi-"cili, saepe non nisi trunco corporis erecto "exercenda; faciei tumidae colore purpureo; "tussi plerumque humida, saepe cruenta."*

---

* Synop. Nos. Method. Vol. II. Gen. XI.

HISTORIA MORBI.

Ex notis quibus hic morbus insignitur, nobis in animo est, eas excerpere ex auctoribus qui de eis fusè scripserunt, idcirco quod perraro occasio observandi quae hae sunt, nobis-metipsis oblata est. Cum enim propria observatione nondum sapuerimus, aliena sapere oportet.

Pneumonia aeque ac fere omnes graviores inflammationes, rigore, horrore, aliisque synochae signis adoritur, dolore lateris pungente, fixo atque acuto, respiratione difficili, inspiratione aucta, comitantibus; tussis frequens, interdum sicca, interdum humida, semper se morbi comitem praebet; facies tumet, et purpurescit; caput dolet; labia livescunt; lingua et fauces internae fuscae et rugosae evadunt; oculi protruduntur, et vasa illorum turgida et rubra fiunt;

pulsus plerumque frequens, plenus, validus, et durus est, nec desunt exempla quibus debilis, parvus et exilis adest; debilitas maxima et ciborum omnium fastidium adsunt; venter vel valde adstrictus, vel solutus est; urina pridem parca, limpida, tenuis, et pellucida; nunc rubra fluit, et seposita sedimentum lateritium deponit.—Cum morbus in extremo sit, sudores frigidi frontem madescunt; extremitates tument; debilitas et anxietas maxima aegrum torquent; oculi fixi apparent; et vel delirium, coma, seu subsultus tendinum, scenam vitae claudit.

MORBI FINES.

PNEUMONIA, resolutione, suppuratione et gangrena, ut aliae inflammationes terminari potest.

Resolutio.—Raro resolutione sine aliqua evacutione evidente terminatur; saepissimé pauciora plurave symptomatum sequentium sese comites praebent: Libera materiae spissae, densae, persaepe sanguine tinctae, expectoratio; urina turbida et nebulosa; sudor calidus, tenuis, per totum corpus fluens; haemorrhagia, praesertim ex naribus, in faeminis aliquando ex utero; eruptiones per cutem sparsae; vel abscessus externè apparens. *

* Vide Huxham's Essays on Fevers, p. 88.

Remissiones doloris, pyrexiæ, dyspnœæ et tussis simul concurrentes, nos resolutionem brevi evenire dubium habere non sinunt. Generaliter primâ seu secundâ hebdomadâ accidit; si malum ad diem decimam quartam sine ulla alicujus momenti remissione procrastinatur, quamvis remedia aptissima usurpata fuerunt, haec terminatio nobis non expectenda est; quanquam Medicinae Pater, HIPPOCRATES, exemplum tradidit, in quo pneumonia resolutione propria demum terminata fuit usque post diem vicesimam quartam.

Suppuratio.—Haec doloris remissione, rigoribus, tussi sicca manente; et in thorace molestiae vel ponderis sensu; decubitu in latus sanum difficili evenisse cognoscitur. Abscessus nunc formatus, vel in bronchias, phthisin, vel in thoracis cavitatem empyema formans prorumpit. Aliquandò sed rarò in abdomen per diaphragma prorumpit, docu-

mentum cujus nobis a Doctore Barry Corcagensis transmittitur.*

Gangrena.—Aliquando sed rarò morbus gangrena terminatur, nautis scorbuto laborantibus accidisse dicitur.

"Ubi igitur," inquit Burserius, "gangrena "incipit, jam dolor evanescit, sine manifesta "causa ejus loco pondus in pectore percipi-"tur; viresque summopere dejiciuntur; pul-"sus fit omnino parvus, debilis, celer, inae-"qualis; facies pallida, tetra, interdum rubro-"caerulea; extrema frigent, sputa livescunt, "nigricant, saepe etiam faetent; latus inter-"dum quod dolor vexavit, macula nigra, aut "livida fœdatur; mens meretur, et brevi "mors scenam complet."

"Imminens hujusmodi malum vix praeca-"veri potest."†

---

* Vid. Edin. Med. Essays, Vol. I, p 219.

† Vid. Burserii Instit. Med. Pract. Vol. IV. Part I. § cxlix.

Praeter terminationes supra memoratas, alia Pneumoniae propria est, sanguinis puri vel seri effusio in bronchias vel telam cellulosam, quâ circuitu sanguinis impedito, suffocatio lethalis gignitur.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

OMNIA quae corpus supra modum implent, et fibras musculosas justo robustiores fiunt, vel medicorum linguâ, quaecunque diathesin phlogisticam inducunt, homines ad morbum pronos reddunt. Pauperes, quibus sors aspera labores duros imposuit; anni tempora quibus caloris et frigoris vicissitudo maxima est; certae tempestatis conditiones; alii magis quam alii vitae gradus, ut inter trigesimum et quinquagesimum aetatis annum, praedispositionem praebent. Thorax non bene conformatus, non immeritò inter causas praedisponentes recensetur. Habitus in malo reducendo multùm pollet. In quibusdam regionibus morbus Endemicus est, qui montes aridos, aquilonemque spectantes, habitant, multùm Peripneumoniis affligun-

tur.* Linarii, lapicidae, et nonnulli alii opifices, magnam huic morbo praedispositionem habent; quia aërem pulvere onustum spirant.

---

* Vid. Huxham de Aëre, in Proefat. ad Vol. II.

CAUSAE EXCITANTES.

Vices caloris et frigoris subitae, quibus sanguis a summa cute repulsus, in intimas partes repellitur, inde vasorum distentione quae sanguinem vehunt, et vi tonica auctis, actiones eorum, et contractiones validiores redduntur, hoc in modo congestiones producuntur, et hinc morbus. Hoc modo corporis calefacti, et labore debilitati, simulque ab hoc cessantis, gelido aëri expositio; aquae frigidae haustus, et ab conclavi calido sub jove humido, et frigido exitus, sub iisdem corporis conditionibus agunt. Potus spirituosi, qui nonnullis in morbis optimum remedium praebent, nimia quantitate verò ingurgitati, calorem augent, febrem excitant, subtiliora dissipant, et diathesin phlogisticam inducunt.

Plaga aut aliud damnum in thoracem factum; vapores corrosivi acresve in pul-

mones inhalati,* vociferatio, cantio, vel conclamatio strenua et frequens, etiam morbum excitant.

Vermes intestinales quibusdam auctoribus inter causas excitantes enumerantur; sed haec opinio mihi valde inepta videtur.

Aliquando in rubeola vel etiam catarrho symptoma occurrit. Phthisin aliquando comitatur, et denique aliis morbis per metastasin supervenit.

---

* Vid. Notes on CULLEN's First Lines by Dr ROTHERAM.

DIAGNOSIS.

Morbi quibus Pneumonia praecipuè confundi potest, peripneumonia notha, gastritis hepatitis et rheumatismus sunt.

In Peripneumonia notha omnia signa febrilia leviora sunt. Viros etiam annis vergentes, spiritibus distillatis deditos, et aliis morbis infirmatos, infestare consuevit.

Gastritis praesertim caloris sensu intensi, et vomitu quibuslibet ingestis citato distinguenda est.

Hepatitis dolore summum humerum occupante; singultu; dolore in hypochondrio dextro; decubitu in sinistrum latus difficili comitatur; quibus signis facillimè ab Pneumonia distinguitur.

Nonnunquam dolores rheumatici musculos inter costales vexant; sed in hoc morbo respiratio difficilis, et tussis dolens semper desunt; et saepissime nullis febris signis comitatur.

PROGNOSIS.

Quanquam in hoc morbo vitam prorsus in dubio esse, semper videndum est, tamen remediorum idoneorum usus tempestivus, plerumque prognosin faustam nos formare sinit.

Febris vehemens; respiratio valdè difficilis; tussis dura, frequens et sicca; dolor thoracis saevus; faciei et oculorum turgescentia; labiorum lividitas; pulsus debilis; sudores quaedam partes solummodo madentes; expectoratio nulla vel suppressa; diarrhœa vehemens, signa infausta sunt. Catharsis, delirium, coma, stupor, tremores et subsultus tendinum, fere semper lethalia sunt.

METHODUS MEDENDI.

Resolutionem, terminationem unicam in Pneumonia salutarem assequi omne studium adhibendum est; ad hunc finem nihil tantum valet, quam missio sanguinis, larga, cita, secundum symptomatum violentiam, aegrique vires, repitita. Ægro igitur lecto decumbente, sanguis manu libera, ex amplo vulnere mittendus est, donec vel symptomata leventur, vel ne syncope corripiat, metus est.

Sydenhami immortalis opinio fuit, generaliter sanguinis missionem ad uncias decem in die per dies quatuor limitandam esse; sed subita evacuatio simul et semel instituta plus valet, quam quantitas quadruplo magis, longioribus intervallis emissa, nec porro aeger adeo debilitatur. Quantitas quae detrahi debet semper pro diversa aetatis, temperamenti, corporis habitus, constitutionis ratione varianda est.

Cullenus ex lateris dolentis brachio mittendum mavult, si modo aegro simul et medico hinc mittere commodum sit, seu minus altero. Burserius inquit: "Etsi sanguis ab "affecto latere emissus communiter magis "prosit; id verò non ita perpetuum est, ut "quidam sibi persuadent. *"

Parùm ut mihi videtur interest utro brachiorum mittatur, dummodo plaga ampla, et pleno rivo effluat. Quo maturius post morbi accessionem, sanguis detrahitur, eo ad inflammationem discutiendam plus valet.

Venaesectio localis vel hirudinibus, vel ferro cutem incidendo Celso,† Huxhamo,‡ et quibusdam aliis celebratur; Cleghornius verbis sequentibus laudes hujus remedii extulit.

---

* Vid. Vol. IV. Burserii, p. 125.

† Vid. Celsus, lib. iv. cap. vii.

‡ Vid. Huxham's Essays, p. 77.

"Nothing affords such certain relief as "the scarificator and cupping-glass; inso- "much, that among the many trials I have "made of them, I do not remember one "instance, where they did not either carry "off the complaint entirely, or mitigate it "considerably." ‡

Cum magnum sanguinis profluvium non aegro subsidium praebuerit, et evacuatio aliqua ex causa non repeti potest, usus Digitalis Purpureae ad aegri sanitatem reducendam confert.

Tinctura dosibus guttarum decem omni hora repetitis dari debet, sed magna cum cautela donec effectus proprios haberet. *

† Vid. Cleghorn's Diseases of Minorca, p. 284.

* Audi Praelect. celeb. Profess. Art. Obstet. in hac Alma Academia, de mul. morbis.

Epispastica, parti dolenti quam proximè applicata, ad curationem hujus morbi valdè conducunt. Pneumoniam levem exigua sanguinis missi quantitate tantum juvante saepe sanavisse dicuntur.

Cathartica, ut remedia antiphlogistica, valdè potentia, magnae utilitatis in hujus morbi curatione sunt, locum phlebotomiae proximum tenent. GREGORIUS exemplum sibi curatum purgantium usu enumerat, sanguinis detractione quasdam ob causas prohibita. *

Cathartica mitiora semper anteponuntur; ut magis drastica sanguinis fluxus ad intimas partes inducere dicuntur.

Enemata emollientia, alvum leniter solutam tenendo magnopere prosunt.

---

* Audi prælect. GREGORII nostri celeberrimi.

Simul ac expectoratio apparet, eam assiduè promovere debemus; hoc consilio nihil quam tartras antimonii et potassae, praecipuèque vinum ejus, dosibus parvis et saepe sumptis, magis valet.

Demulcentia mucilaginosa, et olea vegetabilium expressa, epiglottidem illinendo, et hoc modo muci acrimoniam obtundendo iis commodissima sunt, quibus nauseam non gignunt.

Vapores aquae tepidae in pulmones inhalati, vasa relaxando, multum beneficii praebent, ut egomet frequentissimè in hujus urbis Nosocomio vidi; curante celeberrimo Doctore HOMEO.

Opiata, inflammatione perstante, semper nocent; sed febre cessante, et somno defluxione e pulmonibus tenue, solummodo intercepto, expectorationem promovent, somnumque inducunt, ut Eques illustrissimus jamjam citatus opusculo docet.

Sub murias hydrargyri opio conjunctus compluribus haud parvi nominis Medicis multum laudatus est * ; nescio quo in modo agit, nisi lentam diaphoresin promovendo; ut celeberrimus Professor praelectionibus clinicis notat.

Regimen antiphlogisticum in omni parte adhibendum est ; cibus tenuis, parca, parùm nutriens debet esse, et aëris temperamentum neutiquam gradum thermometri sexagesimum excedere oportet.

Quoniam hi, qui antea hoc morbo laboraverunt, ex levi causa eum iterum facile suscipiunt, plurimum interest, ut convalescentes omnes causas excitantes diligenter evitent.

---

* Vide Comment. celeb. Duncani, Vol. IX. p. 191.

FINIS.